

giam deriuarūt: Differēs itaque de Trinitate Tertullianus in libro aduer-  
sus Praxcā, Pater, inquit, tota substantia, filius deriuatio totius & portio.  
 Quod Theologi Parisiēses dicerēt iuxta suæ scholæ morē, Pater plenitu-  
 dinē deitatis possidet in primo signo originis, quia à se eam habet, Filius  
 in secūdo signo originis, quia ab uno p̄ generationē cōmunicatā à patre:  
 Spiritus sanctus in tertio signo, quia à duobus per sp̄irationē, eandē nu-  
 mero essentiam cum omnibus essentialibus nō notionalibus accepit. At  
 que hoc est quod alijs uerbis extulit Tertullianus cū inquit, Ex uno patre  
 omnia quæ in deo, per substantiæ unitatē, & in unitate trinitas unius sub-  
 stantiæ. Item, Vnitas ex semetipsa deriuās trinitatem, nō destruitur ab il-  
 la, sed administratur, ut tota substantia sit id quod una substantia indiui-  
 sa in tribus non solum in altera. Siquidē & Theologis mos est totum id  
 uocare, quod perfectum uolunt dicere. Deniq; uidetur à Tertulliano fi-  
 lius appellari portio, quia nec pater nec spiritus sanctus est, tametsi unus  
 sunt deus tres p̄sonæ, & nō filius qui pater, nec pater qui spiritus sanctus.  
 Iam cum filiū minorē patre dicit, intelligi debet, nō quo ad deitatē quæ sit  
 minor in eo, sed quatenus à patre generatē genitus, mittēte missus, dante  
 accipiēs, faciēte factus, (ut ipse loquit̄) subiūciēte sibi omnia à quo accepit  
 etiā quæ dei. Id quod scholastici uocant in patre autoritatē, in filio subau-  
 toritatē, concedentes alium esse habēdi modum ea quæ cōmunicata sunt  
 per productiones personis duabus. Per gradum in deitate nil aliud in-  
 telligit quàm signa originis, & non eundē modum habendi essentiam &  
 essentialia. Quid ni aut gradum concedant, ordinē admittentes? Itaq; cū  
 sic dicit, Tres sunt nō statu sed gradu, non substantia sed forma, nec pote-  
 state sed specie, unius autē substantiæ & unius status & unius potestatis,  
 quia unus deus ex quo & gradus isti, & formæ & species, statum uocat  
 quod scholastici substātiā, gradum quod illi notionem, formā quod illi  
 proprietates, speciē, quod illi habendi modū uel signa. Quod aut dicit fili-  
 us & spiritus sanctus secundū & tertiū locum sortiti, tam consortes sub-  
 stantiæ patris, membra, pignora, & instrumēta, haud dubie significare uo-  
 luit duabus emanationibus productos filiū & spiritū sanctū à patre im-  
 producto. In eadem substantia eiusdem naturæ tres personas, tres res  
 appellat, intelligens realiter non essentialiter distinctas, quod Scholastici  
 subtilius tria supposita uocant. Adhæc filiū qui & sermo & sophia pa-  
 tris dicitur, nō tam genitū, productū, natū, procedentē, & emanātem dicit  
 t̄p̄ creatū à patre, cōditū & factū, quod alioqui sacris literis peculiare est.  
 Sed malo te (inquit) ad sensum rei quàm ad sonū uocabuli exerceas. Cer-  
 ti enim deū creari nō posse, nec fieri, à quo & per quē omnia, deferamus  
 locutionibus sacris. Proinde propositiones istæ, Omnis origo parēs est:  
 quod ab origine est, progenies est, Item, Trinitas per consertos & connex

*In signo originis*

*De trinitate*

*Totum et perfectum*

*Filius super patris*

*plus ad sensum rei q̄ ad sonū  
 uocabuli exercitandi sensus*      **b**      os gradus